Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



lu

Iesus autem ibat ad illos. Et ad ea nam longe esset a domo, misit
ad eum centurio amicos dicens, Domine noli vexari. Non enim sum dig
nus ut sub tectum meum intres, propter quod et meipsum dignum non estimi
arbitratus ne veniens ad te. Sed dic verbo et sanabitur puer meus. Nam
et ego cum homo constitutus sub potestate habeam sub me milites et di
co huic vade et vadit. et alio veni. et venit. et servo meo fac hoc
et facit. Quo audito iesus miratus est et conversus sequentibus se turbis
dixit. Amen dico vobis. Non inveni tantam fidem in israel. Et re
versi qui missi fuerant domum invenerunt servum qui languerat sanum. Et
factum est deinceps ibat iesus in civitatem quae vocatur Naym. et ibant
ad eum discipuli eius et turba copiosa. Cum autem appropiaret por
te civitatis. ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae. Et
hic vidua erat et turba civitatis multa ad illam. Quam cum vidisset
iesus misericordia motus super illam dixit illi. Noli flere. Et
accessit et tetigit loculum. hii autem qui portabant steterunt. et ait. Iu
venis tibi dico surge. Et resedit qui erat mortuus et coepit loqui
et dedit illum matri suae. Accepit autem omnes timor et magnificabant
deum dicentes. Quia propheta magnus surrexit in nobis. Et quia deus
visitavit plebem suam. et exiit hic sermo in universam iudeam de eo
et in omni regione circumiacente. Et nuntiaverunt iohanni discipuli
eius de omnibus his. Et convocavit duos de discipulis suis iohannes et
misit ad iesum dicens. Tu es qui venturus es. an alium expectamus.
Cum autem ad eum venissent viri dixerunt iohannes baptista misit
nos ad te dicens. Tu es qui venturus es an alium expectamus. In ipsa
autem hora curavit multos a languoribus suis et plagis et spi
ritibus malis et caecis multis donavit visum. Et respondens dixit
illis. Euntes renuntiate iohanni quae audistis et vidistis. Quia caeci
videntur claudi ambulant. leprosi mundantur. surdi audiunt. mortui
resurgunt. pauperes evangelizantur. et beatus est quicumque non fuerit scan
dalizatus in me. Et cum discessissent nuntii iohannis coepit dicere
de iohanne ad turbas. Quid existis in deserto videre arundinem
vento agitatam. Sed quid existis videre hominem mollibus vestimentis
induta. Ecce qui in veste pretiosa sunt et in deliciis in domibus
regum sunt. Sed quid existis videre prophetam utique dico vobis
et plus quam prophetam. hic est de quo scriptum est. Ecce ego